

VVITEBERGENSIS.

Hi sciunt vtruncq; velle Deum, & vt doctrina nota sit, & vt in cordibus sint verus timor iudicij diuini, & conuersio ad Deum, sicut in iuramento expressa est voluntas Dei, in quo simul & conuersionis & consolationis mentio fit: *Viuo ego*, dicit Dominus, *Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat.* Sciunt etiam quomodo fiat hæc conuersio & viuificatio, in qua corda rursus fiunt templa Dei, in quibus ipse filius Dei sol iusticiæ lucet, & accendit veram Dei agnitionem, & Spiritu sancto exuscitat inuocationem & alios motus congruentes legi Dei. Hæc efficit filius Dei voce Euangelij, quod propterea sonare vult in genere humano. Quare cum Scholastici conuentus pars sint Ecclesiæ Dei, nos quoq; fideliter proponimus auditoribus Euangelium.

Cùm autem in toto genere humano multi sint homines, partim rudes aut leuiter curantes vocem Euangelij, partim contumaces & feri, qui contemnunt Deum, constituit Deus & politica imperia, quibus vult frenari & coherceri externa membra & externa delicta seuerè puniri, vt hæc ipsa pœnarum exempla sint commonefactiones de Deo, de iusticia Dei, & de prouidentia, & vt vita aliorum hominum, qui honestè viuunt, & non turbant communem societatem, protegatur. Ac propter has grauissimas causas Deus sapiens, iustus & vindex, etiam cùm Magistratus non faciunt officium, tamen sua iusticia rapit ad horribilia supplicia in hac vita quoq; pollutos externis sceleribus, iuxta hæc dicta: *Omnis qui gladium accipit, gladio peribit.* Item, *Non habebit Deus insontem, quicumq; nomen*
B eius